



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio VI. De Locis divino cultui destinatis apud Veteres Prussos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Ad Dissertationem VI.




DISSERTATIO VI.

De

Locis divino cultui destinatis apud Veteres Prussos.

- (1.) Deos tectis includi non debere, crediderunt veteres, puta, Judaei, Pagani, alii. An & nascentis Ecclesiae Christiani. Quid hic Septentrionales senserint gentes. *unvltioi, onenl'qua*. (2.) Prussi Veteres nulla habuere templa. Arborea, cum primis Quercus Deorum habitaculis destinata. Hoc Prussis, Romanis aliisque commune fuit. (3.) Quercus Romoveana. Ejus quantitas & qualitas. Arborea ejusdem generis apud Gothos. *Rykaiotb* an diversum à Romove. Quercus Romove à Boleslao Rege Pol. excisa. (4.) Alia Quercus ad urbem Heiligenbeil, excisa ab Anshelmo Episcopo. (5.) Quercus in qua non Mariaburgensis sed Thoruniensis arx condita. (6.) Quercus juxta oppidum Welau. Albertus Dux in ea, cum fuerit excavata, equum circumegit. Quomodo condiderit. (7.) Tilia Diis dicata ad Schakunicum pagum. (8.) Sambucus Barstuccis dicata. (9.) Tota sylva Diis sacra apud Prussos, Romanos, Gothos. (10.) Fontes & Lacus Diis sacri. Golba fluvii miraculum. Apud Gothos fontes Diis sacri. Minutorum Deorum loca apud Veteres Prussos. (11.) Qui Dii enumeratis in locis fuerint culti. (12.) A quibus urbs Romove, in qua majores Dii culti, sit condita. Romove Lithvanica & Prussica. De locis, ubi sitae fuerint urbes illae disquiritur.

I.  Ntiquissimis temporibus ea invaluerat apud omnes gentes opinio, Deos non parietibus includi, sed sub dio cultu debito affici debere. Ipsam etiam gentem Judaicam primis temporibus templum Deo nullum extruxisse in confesso est. Cum enim illa ex capiti-

vitae Aegyptiaca esset egressa, tum demum jussu Dei tabernaculum confectum est, in quo arca foederis aliaque sacra servarentur. *vid. Exod. 25. & seqq.* Templum autem Deo Salomon elapsis propemodum tribus à mundo condito annorum millibus excitavit. *1. Reg. 5. & seqq.* Christianos quoque primis à CHRISTO Orbi donato seculis nulla templa habuisse probant nonnulli ex Origene, Minucio Felice, Lactantio, aliisque. *vid. Nicolaus Vedelius in Exercitat. ad Epist. Ignatii, quam scripsit ad Magnesios p. 55.* Alii tamen contrarium asserunt ex Eusebio. *lib. 2. Hist. Eccl. cap. 16.* Nicephoro. *lib. 2. c. 35. 39. seqq.* Hieronymo. *in Epitaph. Paula Epist. 27.* Multa ad hanc materiam facientia cumulat Joannes Stephanus Durantus *lib. 1. de Ritib. Eccl. Cathol. cap. 2.* De septentrionalibus gentibus, ut propius ad rem accedamus, testatur hoc ipsum Olaus Wormius *lib. 1. Monum. Danic. cap. 3.* cujus verba sunt: *Idola sua Sturgudur dicta, primitus mapaliis & tuguriolisangebant veteres, praefer decorem esse existimantes, Deos tectis claudi, imprimis ubi cultibus debitis placari & majestatem suam exserere debebant.* Per Mapalia & tuguriola, interprete Joanne Schaeffero, hic non intelligit Wormius clausas quasdam aediculas, sed qualiacumque in summo tecta, pluviae arcendae Deorum imaginibus imposita. Qualia *υλίστοι* à Græcis appellantur, etiam Aristophani memorata in *Avibus*. Scholiastes Aristophanis vocat: *κεφάλαια τῶν ἀνδραγῶντων, ἧς τὸ μὴ ἀπεπείσειν ἀντὶ τῶν αἰθέρων.* h. e. tecta seu operimenta statuarum, ne in eas sordes mittant aves. *vid. Schaefferus in Upsalia antiqua cap. 4. initio.*

II. Non secus etiam Prusii olim pagani, quos à Gothiis, ut postea dicemus, sacra sua accepisse verisimile est, nulla Diis suis struebant templa, sed eos sub arboribus collocare solebant. Praecipue verò QUERCUS huic rei tunc existimabatur idonea. Erasmus Stella: *Pracellentes, inquit, arbores, ut robora, quercus, Deos inhabitare dixerunt, ex quibus sciscitantibus responsa reddi audiebantur, ob id nec hujusmodi arbores cadebant, sed religiose, ut numinum Deos, colebant.* Idem & alii Prusicae Historiae Scriptores testantur omnes. Commune hoc fuit Prusis illis cum Romanis pariter ac Græcis, qui Dryadum & Hamadryadum frequentissimè mentionem faciunt, quae Deae sic dicebantur, quod in arboribus habitare, ac unà cum iis vivere ac mori putabantur. Huc pertinet fabula Erifichthonis Thessali unam

ex hoc genere Deartum interficientis, dum quercum altissimam excindit, quâ de re ovidius *lib. 8. Metamorph. Fab. XI. v. 749. 765. seqq.* ita canit :

*Stabat in his ingens annofo robore quercus
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus
Haut aliter fluxit discusso cortice sanguis
Quam solet antè aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abruptâ cruor è cervice profundi.*

Plurima ejus generis occurrunt de omnibus ferè gentibus apud Scriptores antiquos, quæ hîc cumulare instituti nostri ratio prohibet. *vid. Maximus Tyrius serm. 33. Curtius lib. 8. cap. 9. Plinius lib. 12. Nat. Hist. cap. 1. Tacitus de Morib. Germ. cap. 9. Hayto Armenus in Histor. Oriental. cap. 1. ubi de Cataya. Moses Maimonides de Idololatr. cap. 6. §. 12.*

III. Præter cæteras autem quercus, quatuor ingentis magnitudinis hîc in Prussia quondam fuisse observavimus. In iis prima fuit QUERCUS ROMOVEANA, sive quæ in urbe Romove, de qua infra, Deorum cultui erat destinata. Hujus diameter ad sex omninò cubitos sive Geometricos pedes duodenos protendebatur. In summitate fuit latissima & ramis mutuam inter se nexis adèdè impervia, ut pluvia per ramos & folia nullo modo potuerit penetrare. Et quod majorem meretur admirationem in hieme quoq; viridis conspiciebatur. *Simon Grunovius Tract. 2. Chron. Pruss. Casp. Henneb. in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. p. 465. Thom. Waissel. fol. 17. b. Casp. Schuz. in Chron. fol. 2. seq.* Eadem ferè referunt Scriptores Historiæ Svedicæ de illa arbore juxta templum Diis olim Gothorum dicata. De ea namq; sic Scholiastes antiquus Adami Bremensis *ad p. 152. n. 91. Propè templum (Upsaliense) est arbor maxima latè ramos extendens æstate & hieme semper viridis.* Hunc sequitur Albertus Cranzius: *Arbor, iniquiens, juxta templum stabat ingens patulis diffusa ramis, æstate juxta & hieme virens, genus ejus nemo potuit edicere.* Hæc Cranzius *in Præfat. ad Histor. Sveciæ.* Ex Cranzio hauserunt sua, quæ de arbore illa habent, Joannes & Olaus Magni, fratres, qui iisdem hæc ipsa referunt.

ver-

verbis. Ne verò quis arbitretur, fuisse arborem illam ex eo genere, quæ semper virere solent, addit Olaus Magnus: *Non tamen de earum arborum genere fuit, quæ suapte natura, ut laurus, oliva, palma, & myrtus virere videntur: quin in aquilone nulla unquam oliva vel laurus, nisi in parvo frutice pro spectaculo Vastensis exsurgere visa est.* Hæc Olaus Magnus lib. 3. *Hist. Septentr. cap. 5.* Hoc verò Diabolica factum esse, arte, certum habeo. Hic eam arborem semper virentem conservavit, Prussicam etiam illam pluviis impenetrabilem reddidit, ut aliquam divinitatis fidem miseris mortalibus faceret. Sed neque illud de QUERCU Romoveana omittendum est, à Scriptoribus quibusdam eam poni in RYKA JOTH, & his Rykajoth à Romove non differt. Henneb. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 11. b. & fol. 13.* Alii distinguunt Rykajoth à Romove, quando dicunt, Deos minores fuisse cultos in Rykajoth, majores in Romove. Sic enim Auctor quidam Chronici Prussicæ Anonymus: *Die gemeine Stellen da sie die gemeinen Abgötter ehreten / wurden Rykajoth genant. Aber die Stelle da die grosse Lyche war / darinnen die drey Abgötter waren / und der Hohepriester seine Wohnung hatte / die hießen sie Romove nach Rom.* Hæc ad verbum descripsit Waiselius *Chron. Pruss. fol. 18. a.* Habet hæc etiam totidem ferè verbis Chronicon Wolffgangi Dietmari Elbingæ editum. Adhæc & illud observatione indignum non est, adeò religiosè quercum illam Romoveanam à Paganis Prussis fuisse cultam, ut etiam existimarint, si homines vel pecudes arboris illius folia de collo suspensa gestarent, eos à casibus adversis & infortuniis præservari. Henneberg. *de Vet. pruss. fol. 12. a.* Tandem quercus illa simul cum Diis Prussicis majoribus à Boleslao I. Rege Poloniae excisa esse dicitur. Simon Grunov. *in Chron. MS. Tract. 2. fol. 26.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. III. Crisfaltigkeit.* Attamen Thomas Treterus in Vita Johannis I. Episcopi Varmiensis dicit, hanc quercum usque ad modo laudati Episcopi tempora stetisse, à Prussisque veteribus clam fuisse cultam: Sed Episcopi hujus monitu à Magistro Winrico de Kniprode per Henningum Schindekopf excisam, quo in loco postea Petrus Nagel de Sehr monasterium SS. Trinitatis condidit. Sed fides sit penes auctorem.

IV. Ab ista quercu celebritate secunda fuit, quæ propè oppidum Heiligenbeil à Prussis colebatur. Hæc Gurcho sive Curcho Deo, de quo infra, jam ab ipso Waidevuto Rege Prutenorum dedicata esse fertur. *vid. Henneberg. in Comment. ad Tab. Pr. pag. 156.* Eodem illa modo, ut Quercus Romoveana, æstivis juxta & hibernis temporibus viruisse dicitur: *In eo loco, ait Thomas Treterus, ubi Heiligenbeil situm est, fuit ingens quercus, quæ non minus æstata quam hieme (operâ procul dubio Diaboli) assidue virebat.* Hæc Treterus, vel potius Joannes Krezmerus, cujus ille in opusculum Germanicum in Latinam convertit linguam, *in lib. de Episcopis Warmiensibus in Vita Anselmi I.* Et hæc etiam causa est, quod quidam hanc quercum cum priore illa confuderunt. Videlicet ejusdem hæc fortasse cum priore erat magnitudinis, eodem modo operâ cacodæmonis in perpetuo conservabatur virore, divino denique cultui, non secus atque prior illa erat dicata. Quomodo hæc quercus tandem ab Anselmo primo Varmienfi Episcopo excisa fuerit, idem nos Thomas Treterus edocebit, quem jam ea de re loquentem audiamus: *Vocabatur, inquit ille, locus hic Swente Mesce i. e. sacer locus (alii legunt Svvente Mesce, quasi svviète miasto, i. e. sacra urbs) contra hanc execrandam idolatriam Anselmus multis & eruditis concionibus acriter invehebatur, quibus cum nihil apud dura cervicis Prutenos proficeret & impiam hanc superstitionem in sua Diocesi augeri molestissime ferret, præcepit ad extremum, ut quercus illa excinderetur. Cumq; ad rem deventum esset, & quidem arbori securim admovissent, illa repercussa converso ictu ferientem graviter in pede vulneravit, ut in terram illicò prosterneretur. Unde Christianis terror injectus, ut arborem attingere nemo auderet, infideles autem ista cum incredibili gaudio & voluptate spectabant. Quæ res cum Episcopum vehementer affligeret, plenus Spiritu & divini honoris zelo processit eo ipse, et, ut acceptâ securi ingens foramen in quercu effecit. Ceteri autem Christiani, eo jubente, ignem subjicientes, eam totam combusserunt, & idolum ad nihilum redegerunt. Prutheni nihilominus cum securis illa diligenter conquistâ ad manus illorum pervenisset, eam in eo loco, ubi nunc Heiligenbeil oppidum situm est, ab illaq; nomen retinet, pro insigni reliquia venerati in sacello adservabant. Gemina his habent Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pr. pag. 156. & Casp. Schuz. in Chron. fol. 4.* Alii tamen aliundè nomen illud oppidi Heiligenbeil deducunt, ut Schuzius loco citato testatur.*

V. Ter-

V. Tertia ingentis proceritatis quercus est illa, quam Cruciferi Prussiam ingressi, in modum castelli propugnaculis erectis juxta Vistulæ ripam muniverunt. Explodenda verò hîc illorum sententia est, qui Quercum hanc eo in loco ponunt, ubi Mariæburgum situm est, in quâ opinione fuit Aneas Sylvius in *Descript. Europæ* c. 29. quem sequitur Joannes Aubanus Bohemus *lib. 3. de Moribus, Legibus & Ritibus omnium gentium cap. 8.* In eundem lapidem, graviori insuper lapsu, incurrit Auctor Chronici Prussiæ Belgicâ lingvâ scripti, qui non tantùm quercum illam ad Mariæburgum ponit, sed etiam sub hâc ipsa antiquos illos tres majorum gentium Deos, Percunum, Pikollum, & Potrumpum, cultos fuisse arbitratur. *vid. Chronicon illud pag. 15.* Rectius sentiunt, qui cum antiquis Prusficarum rerum Scriptoribus eam sitam esse dicunt eo in loco, ubi vetus Thorunium olim jacuit, videlicet uno milliari ab hodierno Thorunio. Sic enim hâc de re Petrus Dusburgensis: *Fr. Hermannus Balk, Magister Pruschiæ aspirans ad negotium fidei prosequendum, assumpto sibi Duce predicto & virtute exercitus sui transivit Wisselam & terram Culmensem, & in litore in descensu fluminis edificavit An. Dn. 1231. castrum Thorun. Hæc edificatio facta fuit in quadam arbore quercina, in qua propugnacula & moenia fuerunt ordinata ad defensionem undiq; indaginibus se vallabant, non patebat nisi unus aditus ad castrum. Continuè hi septem fratres habebant naves circa se propter impetum Pruthenorum, ut possent navigio redire Nessoviam, si necessitatis articulus hoc svaderet. In successu verò temporis instituerunt circa castrum civitatem, qua postea manente castro translata fuit propter continuam aquarum inundationem ad eum locum, ubi nunc sita sunt & castrum & Civitas Thoruniensis. Hæc Dusburg. part. 3. Chron. cap. 1.* Ex quibus verbis evidenter apparet, Thorunium in quercu illa conditum fuisse in terra Culmensi, & quidem non adeò procul à Nessovia, ut eò Cruciferi, si à Prussis premerentur, facilè confugere possent. Ast Mariæburgum, etiam antiquum illud, quod Zantirium vocabatur, situm erat in Pomesania. Conf. Joannes Dlugossius *lib. 6. Annal. Polon. pag. 580.* Waisselius in *Chron. Pruss. fol. 48. b.* Ut itaque indè manifestum est, quercum illam perperam ad Mariæburgum poni; ita etiam inde non minùs elucet, tres illos Deos Prusficos ibidem non fuisse cultos. An verò alii Dii ibidem divinis honoribus fuerint affecti, dici vix poterit, cum altum sit apud Historicos eâ de re silentium. VI.

VI. Quarta raræ, inò propemodùm inauditæ magnitudinis Quercus fuit ad oppidum Wolau & pagum Oppen in horto quodam. Hæc tanta fuit, ut cum excavata esset, eam eques ingredi, ibique eqvum suum in gyrum potuerit circumagere, quod adhuc superiore seculo expertus est Sereniss. Albertus, primus Dux Prussis, ut & filius ipsius Sereniss. Princeps Albertus Fridericus. Habuit truncus ejus in circumferentia 27. ulnas. Cujus rei testimonium à Magistratu Welaviensis oppidi sub sigillo accepisse se testatur Hennebergerus. Paulò namque antè ejus tempora jam conciderat, non tam corrupta vetustate, quàm hominum ad eam accedentium culpâ. Quicumque enim ad eam visendam accesserat (erat autem maximus hominum, præcipuè exterorum, qui tantam in toto terrarum orbe posse arborem existere sibi persuadere non poterant, concursus) illicò nomen suum cortici incidebat, quo factum est, ut tandem arbor illa, post homines natos, ut Hennebergerus putat, maxima exaruerit. An & hic aliquis Deorum Prussicorum fuerit cultus, in defectu veterum monumentorum asserere non licet. Confirmari tamen aliquo modo posse videtur ex eo, quod & in aliis minoribus quercubus aut vetustate aut etiam operâ hominum idololatricum hunc cultum foventium excavatis, feminae solitæ sunt serpentes lacte nutrire, eosque ut Deos colere. Sed de hoc infra locus erit agendi. *vid. Henneberg. lib. de Vet. Pruss. fol. 12. a.*

VII. Non verò quercus tantùm, tamen illæ præcipuè, fuerunt apud Veteres Prussos Deorum cultui dicatæ, sed & TILIAM fuisse Diis sacram comperimus. Ejusmodi tilia fuit adhuc tempore Hennebergeri non procul à pago Schakunico, qui in Schalavoniensi Provincia Russo fluvio adjacet, ad quam Tiliam suo adhuc tempore rusticos, quamvis occultè & quidem non nisi noctu, confluere, ibique sacrificia Diis offerre solitos, testatur dictus Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruss. Geogr. pag. 416.*

VIII. Porro sub SAMBUCO etiam Deos habitare credidit cæca olim Prussorum gens. Sed & nostris temporibus quibusdam in locis vana hæc persuasio mentes hominum occupavit, ut credant, sub Sambuco morari homunculos illos subterraneos, BARSTUCAS veteribus Prussis dictos, quod & mihi olim puero mulierculas aliquoties referre memini.

IX. Sed & totæ SYLVÆ variis in locis olim sacræ fuerunt, eò quod illas Dii habitare credebantur. Ejusmodi lucus Diis dicatus fuerat juxta pagum Pobeten in Sambia, ex quâ arborem excindere piaculum erat. *vid. Henneberg. in Comment. ad Tab. Pruss. tit. Pobeten. pag. 350.* De cultu Sylvarum Prussico videatur Erasmus Stella *loc. cit.* ut & Matthias Michovius *lib. IV. Chron. Pston. cap. 45.* Jodocus Willichius *in Comment. ad Taciti libellum de Morib. German. part. 1. cap. 14. pag. 476.* Habuerunt hoc ipsum commune Prussi cum antiquis Græcis & Romanis, apud quos secundum Pœtam:

Habitarunt Di quoq; sylva.

Propterea Romani conlucare sive collucare solebant, cujus piaculi modum tradidit Cato *lib. de Re Rust. cap. 139.* Illius verba hic dabimus: *Lucum, inquit, collucare Romano more sic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito. Si Deus, si Dea, cujus illud sacrum est, uti tibi jus fiet porco piaculo facere, illius sacri coercendi ergo. Harumq; rerum ergo sive ego sive quis jussu meo fecerit, uti id recte factum fiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, ut sis volens propitius mihi, domo, familiaq; mea, liberisq; meis. Harumce rerum ergo macæ hoc porco piaculo immolando esto.* Verum & cum Gothis in Svedia habitantibus Prussi hoc habuerunt commune, de quibus Adamus Bremensis *Sec. XI. Scriptor: Corpora immolatorum, inquit, suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singule arbores ejus ex morte & tabo immolatorum divine credantur.* Hæc Adamus *lib. de Situ Dan. & reliq. Septentr. Reg. cap. 94. (233.) pag. 153.* Chronicon vetus Sueticum non modò arbores ipsas, sed & ramos earum singulos apud Veteres Gothos tradit fuisse sacros, apud Joannem Schæferum *in Upsalia antiqua. cap. 4. pag. 33.* An ritus quidam in consecrandis lucis apud Gothos Prussosque fuerint adhibiti, vix determinari poterit, cum in tanta gentium simplicitate, literis id tradere potuerit nemo.

X. Et hæc dicta sunt de præcipua Deorum Prussicorum sede, nimirum de arboribus. Sed & LACUS & FONTES quosdam Diis fuisse sacros, non est, quod dubitemus: *Usq; hodie profecto inter illos, cum cetera omnia communia sint cum nostris solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.*

verba sunt Helmoldi de Prusis veteribus agentis, ex lib. 1. Chron. Slav. cap. 1. Conf. Joannes Dlugossius Tom. 1. Histor. Polon. lib. 2. ad An. 997. Est in tractu Insterburgenfi vicus cognomento *Narpiszken*, sive *Narpiszken*, quem præterlabitur fluvius Golba, cujus cultores olim monoculi reddebantur: & cui hoc contigerat, magnum divina gratiæ signum consecutus esse putabatur. Hennebergerus quando hoc ipsum in *Comment. ad Tab. Pruss. pag. 327.* recenset, testatur, paucis annis ante sua tempora monoculos ejus annis cultores adhuc fuisse repertos. Conf. & D. Cælestinus Mislenta in *Præfatione ad Manuale Prutenicum non longè à princ.* Deindè non est etiam dubium, silentibus licet Annalibus nostris, quin illis in locis, ubi Dii colebantur, fontes sacrificiis destinati, ideoque sacri extiterint. Id genus enim fontes apud Romanos juxta ac Græcos fuisse, veterum testantur monumenta. De Gothis etiam hoc ipsum confirmari potest testimonio Scholiastis Adami Bremensis: *Ibi enim, inquit ille, ubi sacrificia paganorum solent exerceri & homo vivus immergi, qui dum immergitur, ratum erit votum populi.* Paulò clarius hæc profert Albertus Cranzius in *Præfatione ad Historiam Svedicam*, dignus, qui super hac re audiatur: *Fons, inquit, scaturivit ad locum sacrificiorum. Sacrificaturi hominem hic immersere vivum, qui se facile mergeretur, faustum renunciavere votum.* Conf. & Joannes Magnus lib. 1. *Hist. Gothorum & Sveonum cap. ult.* Olavus Magnus lib. 3. *Histor. Septentr. cap. 6.* Arngrinius Jonæ lib. 1. cap. 7. *Crymogæ* observat, fontes hujus generis apud veteres dictos *Blotkälla*, à verbo *Blota*, quod prisca Svedis est sacrificare. Notat insuper laudatus modo Arngrinius, fontes ejus generis profundissimos fuisse. *vid. Joan. Schaferus in Upsalia c. 4. pag. 33.* Ad extremum in ædibus etiam privatorum SUB FORNACE, vel in ANGULO VAPORARII, Lares & Penates suos, de quibus agemus infra, cultu divino Prussi prosequabantur. Item IN OCCULTIS ÆDIUM LOCIS, ut & in CONGERIE LIGNORUM, ut auctor est Joannes Meletius Archypresbyter Lyccensis, in *Epistola ad Georg. Sabinum, que est de Religione Veterum Borussia- rum.*

XI. Ad extremum paucissimis & quasi per saturam Deos, qui dictis in locis colebantur, in certos ordines digeremus, in subsequen-
tibus de eo argumento fusius atque uberius acturi. Primo fuerunt,

Dii majorum gentium, iiq; numero tres, nimirum *Percunos, Picollos & Potrimpos*, qui in Quercu Romove sedem suam habuerunt. Deinde fuerunt tres alii Dii minorum gentium, nempe *Gurcho, Wurszkaito & Ischwambrato*. Ex his Gurcho Quercus Heiligenbeilensis fuerat dedicata. Reliqui reliquas quercus ex enumeratis fortasse habitauerunt. Tertio fuere tertii Ordinis Dii, quos Prussi in solemnibus suis sacrificiis ordine solebant indigitare, ut fuerunt *Occopirrus, Antrimpus, Gardoetes, Pilvitus, Pergubrius, Paschwitus*, aliique. In his etiam censentur minutuli illi Dii, puta, *Barstucca, Marcopeta, serpentes, insecta* alia, quæ partim in arboribus & sylvis, partim etiam in aliis supra à nobis enumeratis locis degebant.

XI. Antequam hinc abeamus, operæ precium nos facturos arbitramur, si quædam de urbe ROMOVE, in quâ primi Ordinis Dii sedem suam & domicilium habuerunt, adjiciamus. Multa enim, dubia hîc occurrunt, quæ dilucidata, lucem non exiguam sequentibus affundent. Non unam autem ejus nominis urbem fuisse ex veterum cognoscimus monumentis. Nam aliam in Prussia, in Lithuania aliam fuisse deprehendas. De Prusica Romove sic loquitur Dusburgensis: *Fuit autem in medio Nationis hujus perversæ, scilicet in Nadrovia, locus quidam dictus Romaw trahens nomen suum à Roma, in quo habitabat quidam dictus Crive, quem colebant pro Papa.* Hæc ille *Part. 3. cap. 5.* De Lithvanica autem Romove *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 254.* hæc habet: *Ludovicus de Libencelle navale bellum multiplex habuit, unum versus Anstechiam terram Regis Lethovinorum, in qua villam dictam Romene (Matthias Strykovvski & Kojalovvicz legunt Romove) qua secundum ritus eorum sacra fuit.* Auctor quidam Chronici Prusici Anonymus, qui ante tria plus minus vixit secula dicit non tantum urbem illam Lithvanicam fuisse sacram, sed & ipsos ejus urbis incolas. Agnoscit etiam utramque hanc urbem *Matth. Strykovvski*, & qui eum ubique sequitur *Kojalovvicz*, ut ex collatione *lib. 1. pag. 21. & lib. 2. pag. 31. seq.* manifestum fit. Præterea jam *Stanislaum Sarnitium* & alios, qui eadem tradunt. A quo urbes hæc sint conditæ dictu per quam difficile est. Prusicam Romovam *Waidewuti* opus esse statuit *Kojalovvicz Part. I. lib. 1. pag. 21.* Lithvanicam autem Romovam ab Italis esse conditam scribit *lib. 2. pag. 31. seq.* *Itali*, inquit, *circa Annum 924. — Venedico*

*dico sive Baltico mari per exigui freti angustias Curonensem, sinum
 invocti, litus legendo in Ostia Nementis sive Chroni inciderunt, ubi is longo
 per Russiam, Lithvaniam & Prussiam cursu collectas aquas duodecim al-
 veis exonerat. Adverso flumine interiora continentis ingressi ad ostium
 Dubisse amnis loco commodo inter amoenam camporum planiciem
 prima colonia novæ fundamenta jecerunt. ROMANOVA tunc
 dicta est, à posteris ROMNOVE & ROMOVE, krive kirveiti
 postea sacrorum apud Lithvanos Præsidis sedes. Gedimino imperante
 ab equitibus Ordinis Teutonici funditus excisa. Alii Scriptores no-
 stri Prusficam Romovam itidem ab Italis conditam, & in me-
 moriam veteris Romæ, Romam novam appellatam esse statuunt.
 Quod si ita est, conciliari vix poterunt ea, quæ ex Kojalovicio
 adduximus. Cum enim ille migrationem Itatorum in Prussiam
 Lithvaniamque aliquot seculis post Waidevvuti tempora conti-
 gisse statuat, non poterit unus utriusque urbis esse Conditor,
 quod tamen & Scriptores Prusfici & ipsa nomina evincere posse
 videntur. Quamvis me non fugiat, aliam hic posse nominis
 hujus Romove proferri nomenclationem, quam subsequente Dis-
 sertatione dabimus. Adhæc de utraque illa Romove disceptatur,
 quonam in loco sita fuerit. De Prusfica Romove sex omninò
 in medium adduci possunt opiniones. Primum enim sunt, qui
 Romovam constituunt eo in loco, ubi hodiè est oppidum Heili-
 genbeil, quæ est sententia Alexandri Gvagin (vel potius Mat-
 thiæ Strykovski, cujus dubio procul sunt libri de Sarmatia Eu-
 ropæa scripti) in *Descript. Pruss.* Item Alberti Wijuk Kojalovicii
Part. I. Hist. Lithv. lib. 1. pag. 21. Defendit eandem & Martinus
 Murinius in *Chronico Prussico, quod idiomate scripsit Polonico, cap. 1.*
pag. 2. Sine dubio autem sententia hæc fluxit ex confusione
 cultûs illius, qui Deo Gurcho propè oppidum Heiligenbeil
 olim deferebatur, ut & trium Deorum, qui in urbe Romove
 à Prusfis colebantur. Cum enim Gurcho Deo propè oppidum
 supra memoratum non exiguos deferri honores multi animadver-
 terent, crediderunt ipsos majorum gentium Deos ibidem fuisse
 cultos. Deindè alii urbem Romove ponunt in Galindia. *vid.*
Caspar. Schuz. lib. 1. Chronic. Pruss. fol. 3. b. Verùm & hæc sen-
 tentia nobis non probatur. Fluxit illa ex appellatione pagi cujus-
 dam*

dam Galindici, qui RUMI vocatur. In illa namque Tabula Prusiae Geographica, quam Henricus Zellius, & quidem primus, ante Hennebergerum confecit, quamque Caspar Schuzius Editioni primae Chronicorum suorum praefixit, in Gallindia notatur pagus, Rom dictus, quod cum legisset Schuzius, putavit ibidem urbem Romoveanam collocandam. Verum quodsi ex id genus appellationibus pagorum quicquam liceret indubitato de praesenti materia concludere, plures loci denominari possent, qui cum nomen illud **Roin** / **Romau** habeant, facile nobis fidem facerent, veterem urbem Romovam in locis sitam fuisse pluribus. Tertio Auctor quidam Anonymus, qui Belgicè Chronicon Prusiae scripsit, cujus haec est epigraphe: *Historie van t'land van Prussen.* existimat Romove illo in loco jacuisse, ubi nostra aetate Mariaeburgum est. *vid. Chron. illud pag. 15.* Verum & haec erronea sententia est. Erroris undè sit origo, facile divinare licet. Nimirum quia nonnulli Scriptorum nostrorum quercum ibi ingentem Germanos communivisse produnt, ubi hodiè Mariaeburgum jacet; existimavit dictus auctor, ipsissimam illam quercum Romoveanam fuisse. Quarto sunt etiam, qui in Nadrovia locum dictae quercus invenisse se putant, in quibus est Dusburgensis noster *loco superiore numero citato.* Eum sequitur Auctor Chronici Germanici antiqui in 4. fol. 14. b. Quinto non desunt, qui in Natangia Romove urbem fuisse scribant, & quidem eo in loco, ubi hodiè monasterii **Trifaltigkeit** dicti, rudera reperiuntur. In hac opinione sunt Simon Grunovius Tolkemitanus, Monachus Ordinis Praedicatorum, *Trakt. 2. Chron. Pruss. cap. 5.* Caspar Hennebergerus in *Comment. ad Tab. Pruss. tit. Trifaltigkeit.* Thomas Waisselius in *Chron. Pruss. pag. 17. & aii.* Sexto denique sunt, qui hac de re dubie loquuntur. Auctor Chronici Ordinis disertè scribit: *Auch hatten sie in diesen Landen Heidnische Pfaffen und einen sonderlichen Babst, welchen sie für heilig hielten nach ihrer Heidnischen Weise. Derselbe Babst hatte allezeit seine Wohnung auf Samland und Nadrawen zu einem Dorff Romaw nach Rome genannt.* Haec ille in *Hermanno de Salza fol. .8. b.* Quid hic in tantâ sententiarum varietate tandem sentiendum? Scripseram alibi enumeratis his sententiis, primis etiam,

etiam, à Cruciferorum in Prusiam ingressu, temporibus ignotum fuisse locum urbis Romoveanæ, idque singulari DEI providentiâ factum, ne Prussi veteres ad idololatriam proni, etiam Ordine Teutonico Prusiam tenente, ad locum illum, Deos suos adoraturi, confluerent. At hæc Amicorum nonnemo, optimo animo, nec deterioribus verbis, piè magis quam verè dici, notavit. Sed, quod pace ipsius dixerim, idem ille quod ego antehac scripseram, sentit. Dicit enim in sequentibus, excisâ seculo decimo à Boleslao Primo Rege Poloniae urbe & Quercu Romoveanâ, excisum etiam simul esse & nomen dictæ urbis. Non mirum proinde esse, quod tempore Dusburgensis, qui duobus seculis, & quod excurrit, à temporibus Boleslai Regis vixit, ne vestigium quidem Quercûs sive Romove repertum fuerit. Sed hæc meæ, quam tunc fovebam, sententiæ, tantum abest, ut repugnent, ut insuper eam mirificè confirmet. Etenim si excisis, Boleslao Rege, quercu & urbe, Crive sive Pontifex Prussorum alium in locum sedem suam transtulit, sique tempore Dusburgii ne vestigium quidem ejus cultus dicto in loco apparuit, consequens est, non tantum piè, sed & verè me dixisse, ordinante sic divinâ providentiâ factum, quod ne locus quidem cultûs idololatrici fuerit eo tempore notus, ne Prussi eò confluerent. Cæterum etiamsi hæc Amici Animadversio sententiam meam nondum evertit, abjicio tamen ipse sententiam illam libens, dicoque, tempore Dusburgii omninò fuisse locum illum satis notum. Quod verò antea tantum probabile mihi videri dicebam, illud jam audentior factus certum esse dico, Romovam non posse alibi locorum collocari, quam in Natangia, ubi hodiè monasterium Sacro Sanctæ Trinitatis. Propterea namque Christiani hunc locum Sacro Sanctæ Trinitati dicatum esse voluerunt, qui antea sedes trium cacodæmonum fuerat. Accedit quod Romovam quidam appellant Rykajoth, ut ex Hennebergeri loco citato manifestum sit: jam verò in illo districtu, ubi monasterium *Trifaltigkeit* dictum jacet, reperiuntur pagi *Kohmsdorff* & *Ryckgarben* / qui & Romovæ & Rykajoth urbium nomina satis manifestè conservant. Dusburgii verba, si diligentius expendas, nobis non adversari faciliè deprehendes.

Dicit quippè Romovam sitam fuisse in medio Nationis Prusicæ, quod falsum esset, si Nadroviæ terminus Australis esset Prigora, sive ut hodiè vocatur, Pregela amnis (quam Hennebergeri sententiam fuisse tabulæ Geographicæ, tam vetus, quam nova, indicant.) Hoc igitur ex citatis Dusburgii verbis elicitur, Nadroviam olim etiam cis Pregelam, sive ad ripam Pregelæ australem, fuisse extensam, ita ut & Romovam intra fines suos contineret, etiam si hodiè vulgò in Natangia censeatur. Idem dicendum est de Auctore Chronici Ordinis. Videlicet, non fuerunt tunc termini Provinciarum Prusicarum adeò accuratè distincti, quo fit, ut Auctor ille, licet locum urbis Romovæ non ignoraverit, ignoraret tamen, utrum ad Sambiam an ad Nadraviam, eum referre deberet. Et hæc de Prusicæ Romanovæ situ dicta funto. Sed & de Lithvanica Romanova non adeò expedita res est, cum etiam de ea non una sit sententia. Stanislaus Sarnitius Anstechiam, in qua Romovam Lithvanicam fuisse Dusburgium audivimus referentem, Curoniæ Provinciam facit: *Romani*, inquit, *ab urbe Roma veteri ad Romam novam ad litus Balticum sitam (sic enim portus ille Curlandicus ad imitationem comparationis Romæ Romulæ cum Roma Constantinopolitana, qua etiam ῥωμαίων vocabatur, antiquitus nominatus est & ibidem Pontifex etiam gentilis, kriwwei krivero dictus sedem suam habuit primariam) huc advenerunt.* Hæc ille *lib. 6. Annal. fol. 286.* Et eodem libro *pag. 294.* Anstechiam vocat marinam Provinciam. Sed Matthias Strykowski Ostostevicius eam collocat in Samogitia ad Dubissæ amnis ostia, ubi se in Memelam exonerat *lib. 3. Histor. Lithvan. pag. 74.* Eum sequitur & Albertus Wijuk Kojalovvicz *Part. I. Histor. Lithvan. lib. 2. pag. 31. & seq.* Et tantum de Locis divino cultui destinatis.

DIS-